

tum jus magis augebant, cum plerumque successor Antecessoris leges & constitutiones mutaret.

39. Fuerunt autem Imperatores Romani partim Gentiles, partim Christiani. Gentilium constitutiones dispersas collegerunt duobus Codicibus Hermogenes & Gregorius, quorum tamen vix minima restant frustula.

40. Christianorum Imperatorum Constitutiones ad sua tempora usque collectæ Theodosius junior. Reliqvorum Imperatorum ad Justinianum usque constitutiones sub titulo legum Novellarum collectæ sunt. Codicem Theodosianum eruditissimis notis & Commentario illustravit immortale Jurisprudentiæ decus Jacobus Gothofredus, simul vero plurimos nævos, quibus idem laboravit, detexit.

41. Hos inter crassissimus est, quod, cum sentiret Theodosius incertitudinem juris ex autoritate responsorum ortam, hanc eo remedio tollere laboraverit, ut certorum faltem Juris Consultorum scripta jussiterit valere in judiciis, & in allegatione eorundem plures prævalere paucioribus, ex paribus illos, inter quos